

Q.N. 533, 34.

B. m. II

II d  
273

DE  
C H I A S M O  
PERIODOQVE DECIVSSATIM  
SCRIPTA

DISPVAT

X 2316490

VT

NOVVM IN ILLVSTRI SCHOLA PORTENSI  
INGREDIATVR MVNVS


D. DECIMO SEXTO APRILIS  
HORA SECVNDIA POMERIDIANA

PVBLICE VALEDICTVRVS

M. GOTTHELFF EHRENFRIED BECKERVS

SCHOLAE SENATORIAE IN NOVA VRBE AD DRESDAM

HVC VSQVE RECTOR.




FRIDERICOSTADII

APVD C. H. HAGENMULLER.

68






*[Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

*[The main body of the page contains several paragraphs of text, which are extremely faint and difficult to read. The text appears to be a formal document or treatise. A large, decorative initial letter 'A' is visible on the right side of the text block.]*







**A**lienissimus fane ab praepostera hac quorundam hominum sum  
consuetudine, obtrectando qui aliorum laudes laudem sibi  
propriam quaerunt. Neque eos vlllo possum probare mo-  
do, qui gloriolae captandae caussa leuibus adducti caussis  
magna cum iracundia calamum aduersus magnos viros stringunt, de eo-  
rumque fama detrahere enixe adlaborant. Quid autem? num magni  
homines fallere prorsus & falli nescii sunt existimandi? longissime ab-  
sum ab hac opinione. Tum mirifica artium scientiarumque amplitudo,  
subtilitas, copia; tum angusti cancelli, quibus vel maxima humanae  
mentis vis semper circumscripta manet, me prohibent, quo minus hanc  
animo vnquam meo imbibere possim opinionem. Quorsum igitur  
haec? vt mihi detur venia, qui duobus magnis olim & de vniuersa re  
litteraria meritorum amplitudine insignibus viris in praesentia modeste  
contradicere ausim. Sunt hi *Joannes Gottlieb Heineccius* ornamentum  
quondam & lumen academiae Halensis, & *Joannes Matthias Gesnerus*  
princeps litteratorum virorum, quem, immortali vita dignissimum, haud



ita pridem beata defunctum morte lugent Musae; moeret academia Gottingensis, quae insignem claritatem huic se viro in primis debere, grata profitetur; totus denique litteratus orbis contristatur. *Heineccius* videlicet, uti in vulgus notum est, bonae frugis plenissimum edidit librum, quem inscripsit: *Fundamenta filii cultioris*, qui adplausu exceptus maximo praela deinceps saepius recusis typographorum exercuit quam vehementissime. Quod autem, (uti nihil ab omni parte perfectum est) aliquae maculae pulchram hujus libri alias formam paululum dehonestarent, abstergere eas, plurimam partem, laudabili adnixus fuit studio *Gesnerus*; quarum tamen nonnullae curam ejus, uti fit, subterfugisse mihi videntur. Quas inter referre jure meo ego videor id, quod uterque maximus vir de periodo *Χιαζμενη* seu decussatim scripta tradunt.<sup>1)</sup> Recte ibi mihi displicere videtur, primo, quod neuter ipsorum verum fontem, unde omnis doctrina de hac periodo manavit, & ex quo *Causinus* etiam, qui vnice ab *Heineccio* laudatur, riuulum suum deduxit, adierint.<sup>2)</sup> Iste autem, quantum mihi veteres peruolutanti rhetoras intelligere licuit, unus est *Hermogenes*.<sup>3)</sup> Deinde, (id quod caput rei est)

<sup>1)</sup> v. *Heineccii* fundamenta filii cultioris adjectis adnotationibus *Jo. Matthiae Gesneri* P. I. c. II. §. XXIV. p. m. 97. seq. editionis quae clo lo cxxxiv. prodit.

<sup>2)</sup> Fecit id quidem V. Cl. *Nicolaus Niclas* in novissima hujus libri, quae Lipsiae superiori exeunte anno vulgata est, editione, addito ad calcem ejus inter alias diatribas etiam excursu, quem nominat, a se facto de *χιασμα*, ubi & totum *Hermogenis* locum & *Sturmii* adnotata ad eum cum lectoribus suis communicavit, paucissimis de suo penu, sed ita additis, ut non potuerim, perlectis, iis (pace hujus viri dixerim) illud Demiphontis apud Terentium non repetere:

Fecisti probe

Incertior sum multo quam dudum.

<sup>3)</sup> l. IV. c. III. p. 198. seqq. editionis quae, Gaspare Laurentio curante, Coloniae Allobrogum anno MDCXIV. prodit.



est) quod, aliis distracti laboribus, superfederint finitionem hujus periodi, ab *Hermogene* factam, & ab *Cauffino* repetitam, adcurate pernoscere, & proinde exemplum, quod *Cauffinus* ab ipso *Hermogene* traditum accepit, prorsus inconueniens judicauerint, alterque eorum videlicet *Heineccius* definitionem *χιασμο* immutandam censuerit, ita, vt in eo non, vti vulgo traditur, quatuor propositorum tertium secundo & quartum primo sed primo tertium, secundo quartum respondeant; alter vero *Gesnerus* suspicatus sit, definitionem periodi hujuscemodi ab *Cauffino* non satis intellectam, & inde euenisse, vt exemplum parum conueniens isthic auctor adtulerit. His praemissis, paullo jam adcuratius de tota hac re disputabimus, lectoribus deinceps nostris iudicium relicturi, egone, an duo hi maximi viri, quibus ego in omnibus reliquis longissime concedo, rem penitus hanc perspexerint. Ante omnia autem monere opus esse arbitror, periodum *χιαζομενη* & *χιασμον* omnino a semet in vicem aliquantum differre non quidem re ipsa, sed vt perfectius quoddam a minus perfecto. In animo habui addere, quod etiam inter se differant, vt oratio fusa, quae incisim procurrans Graecis *κατετραμμενη* dicitur ab dimensa seu periodica, *ειρομενη* ab iisdem vocitata, quae membris inter se arctissime iunctis constat. Sed quo minus hoc vtriusque discrimen statuam, prohibeor tum, quod oratori facile est, ex inciso efficere membrum, tum quod deinceps exempla chiasmi, ex auctoribus deprompta, proferam, quae iustis constant periodis. Chiasmus <sup>1)</sup> autem oritur, si quis in sermone vel oratione duo proponit, iisque alia duo subjungit, quorum posteriorum alterutra alterutris priorum respondent. Quum itaque duplici hoc fieri possit ratione, vt vel tertium respondeat se-

Aij

cundo

<sup>1)</sup> Dicitur *χιασμος* a *χ* littera, quae, crucis in modum, intersecantibus se ipsas duabus obliquis lineis, figuratur.



cundo & quartum primo; vel tertium primo & quartum secundo: efficitur, dari duo Chiasmi genera. <sup>1)</sup> Grammatici ergo, mea quidem ex sententia, hallucinantur, quod chiasmum vnius duntaxat generis esse autumant, nempe quando tertium secundo & quartum respondeat primo, quum erroris coargui possunt tum exemplis auctorum tum communi sermone, in quo etiam alterius generis chiasmus, saepius & quam commodissime quidem fit. Prioris generis chiasmi, quo tertium secundo, quartum primo conuenit, haec sunt exempla.

*Cicero* pro domo c. I. (id quod exemplum *Gesnerus* periodi decusatum scriptae perperam allegat): Cum multa diuinitus, Pontifices, a maioribus nostris inuenta atque instituta sunt, tum nihil praeclarius, quam quod eosdem I. & religionibus deorum immortalium II. & summae reipublicae praesse voluerunt: vt III. amplissimi & carissimi ciues rempublicam bene gerendo, IV. pontifices religiones sapienter interpretando rempublicam conseruarent.

*Virg.* Georg. I. II. v. 226-229.

Nunc quo quamque (terram) modo possis cognoscere dicam

I. Rara sit; II. an supra morem si densa, requiras

III. Altera frumentis quoniam fauet, IV. altera Baccho

III. Densa magis Cereri IV. rarissima quaeque Lyaeo

Idem *ibid.* I. IV. v. 88-94.

Verum vbi ductores acie reuacaueris ambo

I. De

<sup>1)</sup> Quemadmodum duplicis figurae datur crux, vna, quae constat ex rectis duabus lineis sese intersecantibus, quam nos *Burgundicam* vel *Andreae* vocamus; altera, quae conflatur ex duabus curuis, quarum altera alteram in medio attingit. Vnus chiasmus refert priorem crucis figuram; alter posteriorem.



I. Deterior qui visus, eum, ne prodigus obfit,  
 Dede neci II. melior vacua, sine, regnet in aula  
 III. Alter erit maculis auro squalentibus ardens,  
 (Nam duo sunt genera) hic melior insignis & ore  
 Et rutilus clarus squamis IV. ille horridus alter  
 Desidia latamque trahit inglorius aluum.

*Cornelius Nepos in vita Agesilai c. VII. §. 4.*

Domo eadem fuit contentus, qua *Eurysthenes*, progenitor majorum suorum fuerat vsus, quam qui intrarat, nullum signum I. libidinis, nullum II. luxuriae videre poterat: contra plurima III. patientiae atque IV. abstinentiae.

*Hor. l. III. Od. IV.*

Paene occupatam seditionibus  
 Deleuit urbem I. Dacus & II. Aethiops  
 III. Hic classe formidatus, IV. ille  
 Missilibus melior sagittis.

Si quis plura desiderat vel vnum *Livium*, in quo auctore in primis chiasmus est frequens, euoluat I. I. c. VII. §. I. Palatinum — con-  
 salutaerit. §. 13. Forte ita euenit — vescerentur. c. XIII. §. 1. 2.  
 Hinc patres, hinc viros — progeniem. & c. XIV. §. I. Post aliquot  
 annos — plus poterant.

Alterius generis chiasmi duo haec ex *Liuio* adferam exempla I. I.  
 c. IV. §. 3. Sed nec dii nec homines aut I. ipsam (*Rbeam Siluiam*) aut  
 II. stirpem a crudelitate regia vindicant: III. sacerdos vincita in custodi-  
 am datur IV. pueros in profluentem aquam mitti iubet. Ibid. c. XII.  
 §. 8. Vicimus I. perfidos hospites II. imbelles hostes: jam sciunt longe  
 aliud esse III. virgines rapere, aliud IV. pugnare cum viris, Tantum  
 de



de chiasmo. Jam restat, vt, quid sit periodus *χιαζομενη* ex *Hermogene* mente disputemus. Antequam rem exordiar, praemonendum mihi ad facilius intelligenda, quae deinceps dicentur, videtur, falso praecipi a quibusdam rhetoribus, quod omnis periodus composita *προτασει* (propositione) vna atque vna *αποδοσει* (redditione) absolua-  
tur. Quum periodus omnino composita existere potest, in qua prorsus exsulat *αποδοσις*, quamquam per naturam rerum fieri non potest, vt ex meris redditionibus sine vlla propositione confingatur. Sic copulatiua vel *δικωλος* vel *τρικωλος*, vel quoque, etiamsi id raro contingit, *τετρακωλος* omni carebit *αποδοσει* ex propositionibus duntaxat constans. Idem hoc valet etiam de disjunctiua. Quodsi vero vtraque adest: in periodo *δικωλω* singulae erunt; in *τρικωλω* vel vna propositio & duae redditiones, vel vice versa; in *τετρακωλω* vel vna propositio & tres redditiones, vel vtraque duplex, vel tres propositiones & vna redditio. Periodus itaque decussatim scripta, auctore *Hermogene*,<sup>1)</sup> est ita quadrimembris, vt duas propositiones totidemque redditiones complectatur. Hoc est genus huiuscemodi periodi. Jam sequitur differentia, vt vulgo philosophi loquuntur, specifica. Haec in eo vertitur, vt redditio vtraque vtrique respondeat propositioni.<sup>2)</sup> Ergo in tali periodo quatuor proponuntur, e quibus non, vt in simplici chiasmo alterutra alterutris sed vtraque vtrisque respondent; ex quo discrimen simplicis chiasmi & periodi, de qua nobis hic instituitur oratio, luculenter adparet, itidemque euidenter constat, me recte supra scripsisse, chiasmum & periodum decussatim scriptam ita  
a semet

<sup>1)</sup> l. c.

<sup>2)</sup> Hermogenes, *πως δε αναδεχεται, αις, τον χιασμον; όταν εν αμφοτε-  
ραις ταις προτασειν αμφοτεραι ἀμοζωσιν αι αποδοσεις, και εναλ-  
λαξ.*



a semet in vicem differre, vt minus perfectum a perfectiori. Quodsi autem quis putet, eam etiam periodum recte adpellari posse *χιαζομενην*, in qua simplex chiasmus contineatur: me quidem haud moleste obstrepentem sibi inueniet. Interim quum *Heineccius* doctrinam de hac periodo ex *Cauffino* hausit; *Cauffinus* autem ipsam ex *Hermogene* sumfit, id quod ex exemplo a se prolato, quod *Hermogenis* est, indubitato constat; quum porro *Heineccius* haud obscure confessus est, se huius periodi naturam haud intelligere; *Gesnerus* deinceps exemplum hoc incommodum & inconueniens esse arguens idem illud satis clare prodidit: necesse omnino fuit, rem dilucidius ex ipso *Hermogene* exponere, vt, quid sibi hic auctor voluerit, ab omnibus vere & euidenter perspiciatur. Si quis autem alia talis a me periodi exempla, ex auctoribus deprompta, postulat: sane ingenue confiteor, me eorum penuria admodum premi. Nam quamquam *Sturmio*, interpretator *Hermogenis*, aliquot in *Cicerone* inuenisse se exempla, quae etiam protulit, opinatur: tamen ea mihi, si non prorsus incommoda, certe non satis clara atque euidencia videntur. Anceps proinde haereo an non *Trapezontio* accedere debeam, qui, teste *Sturmio*, in toto *Cicerone* vnica tantummodo eiusmodi periodum inueniri existimauit. Quae vero ea est, propterea dicere non possum, quia *Hermogenes* a *Trapezontio* editus mihi non est ad manus. Ego ipse, quantum mihi per negotia licuit, multum operae in relegendis orationibus *Ciceronis* posui, num fortasse aliquot earum periodorum inuenire possim: sed siue quod imbecillitate mentis impeditus fui, siue quod nullae ibi existant, labor me adhuc fuit frustratus. Itaque, necessitate coactus, *Demosthenis* illam periodum ab *Hermogene* excitatam etiam hic repetere, vt *Cauffinus* & *Heineccius* fecerunt, satis habeo. Illa autem ita se habet:

B

Quanto



Quanto plura *Philippus* praeter dignitatem fecit;  
 tanto plus apud omnes admirationis gloriaeque consecutus est:  
 vos autem, ciues Athenienses, quo immoderatus impotentius-  
 que rebus vestris vti estis;  
 eo maiorem vestram oportet esse turpitudinem.

Clarum hic primo est, hanc periodum esse quadrimembrem ex duabus conflatam propositionibus,

1. *Philippus* praeter dignitatem multa fecit
  2. vos ciues Athenienses, immoderate impotenterque rebus vestris vti estis
- totidemque redditionibus,  
 tanto plus *Philippus* apud omnes admirationis gloriaeque consecutus est.  
 eo maiorem vestram oportet esse turpitudinem.

Deinde planum est & manifestum, redditionem vtramque vtrique propositioni conuenire:

Quanto plura *Philippus* praeter dignitatem suam fecit;  
 tanto maiorem vestram, o ciues Athenienses, oportet esse turpitudinem:

& quo vos immoderatus impotentiusque rebus vestris vti estis;  
 eo plus apud omnes admirationis gloriaeque consecutus est *Philippus*.

*Heineccius* periodum *χιαζομενην* elegantissimam vocat; quod iudicium num aequum sit, alii videant, mihi tum demum ita videtur, si non sine magno studio quaesita sit, sed sponte sua sese scribenti obtulerit. Sed aliud est adhuc quidpiam hujus periodi proprium, quod *Hermogenes*

ex-



exposuit. Videlicet dixit, periodos quadrimembres quae crucis formam non recipiant, πολλὰς (crebra vice) decussatam autem periodum μυριακῶς (innumerabiliter) μεταποιεῖσθαι καὶ εὐεφείσθαι (immutari) posse. Intelligit autem per immutationem periodi, quando membra periodi alio atque alio, quoad per naturam rerum, quae traduntur, fieri potest, collocantur ordine. Quamquam autem nimis ὑπερβολικῶς hoc μυριακῶς dictum est (nam qui, quaeso, quatuor rerum inter se ordo & positus innumerabiliter immutari posset?) tamen hoc verum est, id fieri posse, magno (si ad quaternarium referatur) admodum numero, videlicet quater vices. Id quod omnibus Mathematices cognitione imbutis ex permutationum regula <sup>1)</sup> per se clarum erit & evidens. Hic explicit disputatio mea.

Restat, ut quam ob causam qualiscunque hic a me susceptus fuerit labor, declarem. Gratissimus deuenor insignem & commemorabilem AUGUSTISSIMI REGIS nostri & PROCERUM EJUS vices obeuntium clementiam gratiamque, qua impulsus mihi munus conrectoris in illustri schola Portensi demandauerunt; simul vero mente repeto memori, quanta quamque egregia ab AMPLIS-

B ij

SI-

<sup>1)</sup> v. Wolffii elementa Analyseos finitorum §. 168. In usum autem eorum, qui Matheseos sacris initiati non sunt, ponam sequens schema, ex quo liquido adparebit, quatuor membrorum hujus periodi ordinem & positum vices quater permutari posse. Nominemus quatuor membra a b c d.


abcd	bcda	cdab	dabc
abdc	bcad	cdba	dacb
acbd	bdac	cabd	dbac
acdb	bdc a	cadb	dbca
adbc	baed	cbad	dcab
adcb	bade	cbda	dcba



SIMO ciuitatis Dresdensis SENATU, qui munus, a quo mihi nunc discedendum est, decem abhinc annis mihi concedidit benignissime, tulerim promerita; nec vnquam, dum spiritus hos regit artus, excidet mente mite aequae atque potens praesidium, quod mihi in administrando hoc munere MAGNIFICUS sacrorum Dresdensium PRAESUL praestitit. Ut igitur tum pietati satisfaciam, tum me veteri, quod gessi, munere, ad ineundum nouum abdicem: constitui, permissu MAGNIFICI ac SUMME VENERABILIS AM-ENDE, diem XVI. Kalendas Maji, quo, praemissa oratione *de litterarum studiis efficacissimo miseriarum leuamento* pio hoc atque necessario defungi officio cupio. Quem proinde diem ut obeant, tum PROCERES, quibus nouam ineundam provinciam & alia beneficia debeo, tum AMPLISSIMUS DRESDENSIS SENATUS, tum alii omnium ordinum Viri quibus res scholastica curae cordique est, reverentissime oro atque contendo. Perscripsi in schola nouae vrbis ad  
Dresdam d. XVII. Kalend. Maji **MDCCCLXII.**







Farbkarte #13

B.I.G.

Q.N. 533, 34.

B. m. IV

II d  
273

DE  
C H I A S M O  
PERIODOQVE DECVSSATIM  
SCRIPTA

DISPVSTAT

X 2316490

VT

NOVVM IN ILLVSTRI SCHOLA PORTENSI  
INGREDIATVR MVNVS

D. DECIMO SEXTO APRILIS  
HORA SECVND A POMERIDIANA

PVBLICE VALEDICTVRVS

M. GOTTHELFF EHRENFRIED BECKERVS

SCHOLAE SENATORIAE IN NOVA VRBE AD DRESDAM  
HVC VSQVE RECTOR.



FRIDERICOSTADII

APVD C. H. HAGENMULLER.

1881